ARISTOTELES LATINUS. BOETHIUS
12. Jh. Seite 12r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



minatiua quecumque a principali nomine solo casu. i. sola transfi-
guratione nominis discrepantia. secundum principale nomen habent ap-
pellationem. Tria autem sunt necessaria ut denominatiua uocabu-
la constituantur. Primus ut re participet post ut nomine. Postre-
mo ut sit quedam nominis transfiguratio. ut cum aliquis dicitur a fortitudi-
ne fortis. Est enim quedam fortitudo qua ille fortis participet.
Habet quippe nominis participationem: fortis enim dicitur. At uero est quedam
transfiguratio. Fortis enim et fortitudo non eisdem syllabis terminantur.
Si quid uero sit quod re non participet. neque nomine participare potest. Quare
quecumque re non participant. denominatiua esse non possunt. Rur-
sus quae re quidem participant nomine minime. ipsa quoque a denomina-
tiuorum natura discreta sunt. Ut si quis cum sit uirtus uirtute ipsa partici-
pet. nullo eum alio nomine. nisi sapientem uocamus. Sed uirtus et sapien-
tia nomine ipso disiuncta sunt. Hic ergo re quidem participat nomine uero mi-
nime. Quare sapiens a uirtute denominatus esse non dicitur sed a sapi-
entia. quia scilicet et re participat et nomine iungitur. et transfiguratio-
ne diuersus est. Et rursus. Si transfiguratio non sit. ut quedam
mulier musica participat quidem ipsa musice disciplinae. et dicitur
musica. Hec igitur non est denominatiua sed aequiuoca. Uno enim nomine
et disciplina ipsa. et mulier musica dicitur. Quomodo ergo similis terminus
syllabarum est. et nomen simile. et nulla transfiguratio denomina-
tiua esse non poterit. Quare quicquid denominatiuum esse dicitur. illud
et re participabit et nomine. et aliqua transfiguratione uocabuli
discrepabit. Hec igitur quae ad predicamenta necessaria credidit premi-
sit. multiuoca uero et diuersiuoca respuit. quod ad presentem tractatum
utilia non putauit. Breuiter utraque tamen diffinienda sunt. Multiuo-
ca sunt quorum plura nomina. una diffinitio est. ut est scutum. clippeus.
His enim plura nomina sed una diffinitio est. His enim tot no- Marcius porcius ca
minibus res una subiecta est. Diuersiuoca sunt quorum neque nomen
idem est. nec eadem diffinitio. ut homo. color. et quicquid omnino a se
et nominis nuncupatione et diffinitionis ratione discretum est.

Horum quae dicuntur alia quidem secundum complexionem dicuntur
alia uero sine complexione. Et ea quae secundum complexionem di-